



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 51. Tumultus ob hanc Instructionem in Galliis exorti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

„doceantur adversus legitimas potesta- Sæc. XVIII.
 „tes tum Ecclesiasticas tum sæculares. A. C. 1710.
 „Denique hoc libro contineri profanas
 „novitates, quas utpote noxias devi-
 „tandas monet Apostolus: tradi multa,
 „quæ in Ecclesia Christi hætenus in-
 „audita sunt, atque eo nomine repu-
 „dianda. Mandamus ac præcipimus,
 „ut Decretum hoc & documentum pa-
 „storale publice prælegatur in collatio-
 „nibus illis ac cætibus Ecclesiasticis,
 „qui singulis mensibus, prout iussimus,
 „haberi solent, atque in omnibus so-
 „cietatibus sæcularibus & regularibus.
 „Hortamur omnes Ecclesiasticos in sa-
 „cris ordinibus constitutos, sæculares,
 „regularesve nostræ diæceseos, ut hoc
 „documentum privatim legant. Pro-
 „motoribus nostris imperamus, ut cu-
 „rent ea, quæ præcipimus, omnia di-
 „ligenter observari, publica fieri, at-
 „que affigi, ubicumque opus erit, ne
 „quis ignorantiam jure prætexat.”

§. LI.

*Tumultus ob hanc Instructionem in
Galliis exorti.*

Quamprimum vero utriusque Præsu-
 lis Instructio Rupellense prælum
 reliquerat, mox Typographus, ut hu-
 jus libelli venditionem magis promo-
 veret,

Sæc. XVIII. veret, plurima illius exempla ad præ-
A. C. 1710. cipuas Regni Urbes transmisit; inter
 ceteros vero Bibliopolas Parisiensis con-
 spectum totius hujus tractatus typis
 editum in omnibus Urbis plateis, ve-
 cis & compitis proclamari, imo & Ec-
 clesiarum, & nominatim Archiepisco-
 palis Palatii foribus affigi curavit: il-
 lud quidem Parisiis usitati & quotidiani
 moris est: ast in præsentis rerum tem-
 porumquæ vicissitudine res gravi offen-
 sioni obnoxia erat, & prudentiæ, nec
 non decentiæ ratio suadere videbatur
 ne condemnatio ejusmodi libri, quem
 Noaillius Cardinalis approbaverat, ejus-
 dem foribus affigeretur: magis vero eundem
 Archiepiscopum afflixerat, quod in
 spargebatur, ambo præfatorum Præsu-
 lum Nepotes, qui in Seminario S. Sal-
 pitii degebant, Patruum sui ordinationem
 eorum jussu Parisiis disseminassent: in-
 de vero tam funestæ oriebantur offen-
 siones, ut in hanc usque diem Episco-
 palis Ordo mutuis dissensionibus scin-
 datur, & Quesnelliani libri auctoritas
 necnon Jansenii factio, quæ hucusque
 nonnisi paucorum, privatorumque stu-
 dio, numeroque subsistens vitalem ca-
 lore[m] relinquere cæperat, veluti resuscita-
 tata, & celeberrimorum Præfulum pa-
 trocinio suffulta universum Franciæ Re-
 gnum,

gnum, & Ecclesiam in deplorandam Sæc. XVIII.
 confusionem conjiciat. A. C. 1710.

§. LII.

*Noaillii Cardinalis Archiepiscopi Pa-
 risiensis indignatio contra utrum-
 que hunc Episcopum.*

Hac agendi ratione Noaillius Cardi- Lafiteau l. c.
 nalis se ab hisce Episcopis haud Denis differ.
 oblique peti ratus, vindictam parabat, du Card.
 stimulantibus Quesnelli fautoribus, qui Noaill. avec
 eidem suggerebant, librum, quem suo quelq. Eve-
 suffragio honorasset, censuris ab hisce quer. p. 219.
 Præsulibus sine luculenta suæ digni-
 tatis ignominia perstringi, haud potuif-
 se, minus vero ipso inscio hisce Epi-
 scopis suas Ordinationes in ipsa Metro-
 poli disseminare licuisse: Non deerant
 tamen Viri pacis studiosi, qui Archi-
 episcopo exponerent, hujus libri re-
 cognitores suis plane partibus defuisse,
 ipsumque nimis credulum fidem adhi-
 buisse judicio eorum, quorum tamen
 doctrinæ integritas sibi merito suspecta
 esse debuisset, aliunde vero ex con-
 stanti Gallicanæ Ecclesiæ usu compro-
 batum esse, quod quibusvis Franciæ
 Episcopis integrum foret, suas instru-
 ctiones Pastorales etiam in Metropoli-
 tana Regni urbe distribuere. Atta-
 men Noaillius horum monitis surdas
 præ-